



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Anastasivs Mart. 22. Ianuarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

noxa urbis Romæ, sed virgo sed, non latro, Lucretia. Porro dum Emerentiana virgo ad AGNETIS tumulum precatur, lapidibus obruta suoque lustrata sanguine (nam fonte sacro non erat) à parentibus AGNETIS prope filiam conditur, quibus non multò post inter candidatum virginum agmen AGNES cum AGNO sponso suo visendam se dedit, vetuitque deinceps morere, & eam felicem thalamum, quem optimè nupta inscendisset, lacrimis aspergere. Ex S. Ambr. & Brev. Rom.

Prospiciant sancti Angeli tui certaminis exitum, coronas gemmis coruscantes tenentes in manibus, ut illas perseveranti largiantur. Pudeat te, oro pudeat in conspectu caelestis senatus & Imperatoris aeterni segniter dimicare. B. Iustinian. in fascic. amoris.

S. ANASTASIVS MART. 22. Ianuarij.

○ Prima spolia abstulisse in Persiam se Cosiroe putavit, cum Crucem S. abstulit, sed nimirum quæ Persiam spoliarent. Sanè multorum fides nostra in animum, simul Crux in oculos venit, interq; eos ANASTASII celebris magni filii, qui cum de Cruce Crucisque anathemate multa curiosè quæreret, jam tum gestiebat magna pati pro maxima patiente Christo. Itaq; sanctissimus transfuga Ierosolimæ Christianum, mox monachum induit; nullâ re sic delectatus; uti res fortiter à Divis gestas legendo, martyribus præferim, quibus ille tot Palmas tyro inviderebat, & interea cum sanguinem nondum posset, lacrimas ubertim fundebat. Ut primùm ergo in privato pulvere exercuit sese, prodiit in aciem ultrò hostem laceffens. Igitur ad latomias damnatus saxa tulit, dein verbera. at ille supinus membra etiam nuda lubens pul-
fanda

sanda præbuit, modò vestibus sanctis parcerent.
Tanti illi jam tunc fecit cucullum, quem heri na-
tus rider hodie hæreticus. Caterùm collum pe-
demque communibus cum nescio quo scelerato
vinculis ligatus dies noctesque velut Hilaria in-
ter cantus solemnes traduxit, ut jam ad se Cælites
etiam raperet pontificali majestate & insolito
splendore insignes, quos inter visus est unus ali-
quis odoribus (ah! qualibus?) Martyrem venerari.
Igitur post altera virgarum clavæque verbera,
post tibias fractas aliæque supplicia, tandem cum
XL. sociis Martyrum torque, laqueo, est donatus.

Ex Surio.

*Non interrogas ô homo ea, quæ pateris, sed quæ
Christus passus est; quanti te fecit ex his, quæ pro
te factus est, agnosce. Quanto enim minorem se ex-
hibuit in humanitate, tanto majorem exhibuit in
bonitate: & quanto pro me vilior, tanto mihi
charior est. S. Bern. serm. 1. de Epiph.*

S. CLEMENS E. M. 23. Ianuarij.

TRIUMPHAVIT CLEMENS Præsul Ancyranus sub
annum CCC. III. quando sub sacrificium (ad
quod aliàs Cælites illi panem & vinum ministra-
runt) ferro cecidit. Ravò tam splendidè in celo est
triumphatum. Lictores labore fessi victique in-
numeri præcessère. Acti ante currum tyranni,
Domitianus, Diocletianus, Maximianus, aliique
non unâ Pugnâ devicti. Præferebantur virgarum,
flagrorum, funium, catenarû, fustium, tauræarum,
securium, saxorum benè magnus numerus. Hinc
culci, equuleique & obelisci sequebantur. Inde è
ferro manus, galeæ, styli, subulæ, ungulæ, laminæ,
pectines, rotæ, grabati, fornaces, omnia à flammis
igneæ.